bat transflumē. magnum  
ī regno. et fidelem regi. et  
misiit eū. et alchimū impiū  
constituit in sacerdotium.  
et mandauit ei face ultio  
nem in filios isrl. Et surre  
xerūt et uenerūt cū exerci  
tu magno in terrā iuda: et  
miserunt nuncios et locuti  
sūt ad iudam. et ad fratres  
eius uerbis pacificis ī dolo.  
et nō intenderūt sermonib;  
eoz. Viderunt enī quia ue  
nerunt cū exercitu magno.  
Et conuenerūt ad alchimū.  
et bachidem congregatio  
scribarū requirere q̄ iusta  
sunt. et primassit ei  
que erant in filiis isrl. et ex  
quirebant ab eis pacem.  
Dixerunt enī. Homo sa  
cerdos de semine aaron ue  
nit. nō decipiet nos. Et lo  
cutus est cum eis uerba pa  
cifica: et iurauit eis dices.  
Nōs inferimus uobis ma  
lum. neq; amicis uestris.  
Et crediderūt ei. Et comp

hendit ex eis. **L** viros: et occidit eos in una die secundum uerbum quod scriptum est. Carnes sanctorum tuorum: et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu iherusalem: et non erat qui sepeli-  
ret. Et incubuit timor et tremor in omni populo: quia dixerunt. Non est in eis uitas et iudicium. Transgressi sunt enim constitutum: et iusiurandum quod iurauerunt. Et mouit bachides castra ad iherusalem: et applicuit in bezachia: et misit et comprehendit multos ex eis quia se refugerant: et quosdam de populo mactauit: et in puteum magnum proiecit. Et commisit regionem alchimo: et reliquit cum eo auxilium in adiutorium ipsi: et abiit bachides ad regem. Et satis agebat alchimus pro principatu sacerdotum sui: et conuenerunt ad eum omnes qui perturbabant populum suum: et obtinuerunt terram iuda: et fecerunt plagam magnam in israel. Et uidit iudas omnia mala que fecit alchimus: et qui cum eo erant in filios israel plus multo quam

gentes: et exiit in omnes fines iudee in circuitu: et fecit uindictam in uiros desertores: et cessauerunt ultra exire in regionem. Vidit autem alchimus quod preualuit iudas et qui cum eo sunt: et cognouit quia non potest sustinere eos: et regressus est ad regem: et accusauit eos multis criminibus. Et misit rex in canozem unum ex principibus suis nobilioribus: qui erat inimicicias exercens contra israel: et mandauit ei euertere populum. Et uenit canoz in iherusalem cum exercitu magno: et misit ad iudam et ad fratres eius cum dolo uerbis pacificis. Dicens. Non sit pugna inter me et uos. Veniam cum uiris pacificis: ut uideam facies ustras cum pace. Et uenit ad iudam: et salutauerunt se in uice pacifice. Et hostes parati erant rapti iudam. Et innotuit sermo iude: quoniam cum dolo uenerat ad eum: et contritus est ab eo: et noluit amplius uide faciem eius.

**E**t cognouit incanor quoniam  
de nudatu est consiliu eius:  
et exiit obuia iude in pug-  
nam iuxta capharsalama.  
Et ceciderunt de incanoris ex-  
ercitu fere .v. milia uiri: et fuge-  
runt in ciuitate dauid.  
Et post hec uerba ascendit  
incanor in monte syon: et  
exierunt de sacerdotibus populi  
salutare eum in pace: et de-  
monstrare ei holocausto-  
mata que offerebant pro  
rege. Et irridens spreuit  
ea et polluit: et locutus est  
superbe. et iurauit cum ira di-  
cens. Nisi traditus fuerit  
iudas et exercitus eius in  
manus meas: continuo  
cum regressus fuero in pa-  
ce. succenda domu istam.  
Et exiit cum ira magna.  
Et intrauerunt sacerdotes.  
et steterunt ante faciem al-  
taris et templi: et flentes  
dixerunt. Tu elegisti domu  
ista domine ad inuocandum  
nomen tuum in ea: ut esset  
domus orationis et obse-  
crationis populo tuo. fac  
uindictam in homine isto.  
et in exercitu eius: et ca-

dant gladio. Memento blas-  
phemias eorum: et ne dederis  
eis ut permaneat. Et exiit in-  
canor ab iherusalem et castra  
applicuit in bethoron. et oc-  
currit illi exercitus syrie:  
et iudas applicuit in adarfa  
cum tribus milibus uiris. Et orauit  
iudas et dixit. Qui missi erant  
a rege sennacherib erant domine.  
qui blasphemauerunt te:  
exiit angelus et percussit exercitus  
.c. lxx. quinque milia. sic con-  
tere exercitum istum in conspec-  
tu tuo hodie. et sciant ceci-  
quia male locutus est super  
sancta tua: et iudica illum  
secundum malitiam illius. Et com-  
miserunt exercitus plurimum  
triginta die mensis  
adar. Et conuicta sunt castra  
incanoris: et cecidit ipse  
primus in proelio. Ut autem  
uidit exercitus eius quia  
cecidit incanor: proiecerunt  
arma sua et fugerunt. Et  
persecuti sunt eos uiam unius  
diei: ab adaloz usque quo ue-  
niatur gazara: et cubis ce-  
cinerunt post eos cum signi-  
ficationibus. Et exierunt  
de omnibus castellis iude in

circuito: et uentilabāt eos  
cornibus. Et cōuertebant  
itē ad eos. et ceciderunt  
omnes gladio: et nō est re  
lictus ex eis nec unus. Et ac  
cepunt spolia eorū: et p̄dam  
et caput nicanoris ampu  
tauerūt. et dexterā ei quā  
extenderat sup̄be: et attu  
lerant et suspenderūt cont̄  
iherlm. Et letatus ē p̄pls  
ualde. et egerūt diē illam  
in leticia magna. et cōsti  
tuit agi omnib' annis diē  
istā. tertiadecima diē me  
sis adar. Et siluit terra  
iuda dies paucos. **VII**

**E**t audiuit iudas no  
mē romanorū: quia  
potentes sūt uirib'. et ad q̄  
stunt ad omnia que postu  
lant ab eis. et quicūq; accē  
serūt ad eos. fecerūt cū eis  
amicicias. et quia potētes  
sūt uirib': audierūt p̄lia e  
eorū. et uirtutes bonas q̄s  
faciūt in galacia. quia ob  
tinuerūt eos et duxerunt  
eos sub tributū: et quanta fe  
cerunt in regione hispanie.  
et qd̄ in potestate redege  
runt metalla argenti et

auri. que illic sunt: et pos  
sederūt omnē locū consi  
lio suo et paciēcia: locaq;  
qui longe erant ualde ab  
eis: et reges qui sup̄ ue  
nerāt illis ab extremis t̄  
re contriuerūt. et p̄tul  
serunt eos plaga mag  
na. ceteri autē dant eis tri  
butū omnib' annis: et p̄h  
lippū et p̄sen sitay regē.  
et ceteros qui aduersus  
eos arma tulerūt contri  
uerūt bello. et obtinuerūt  
eos: et antiochū magnū  
regem a sic. qui eis pug  
nam intulerat habens. c.  
xv. elefantos. et exercitū *equites et curi?*  
magnū ualde contritū  
ab eis: quia cepunt eum  
uivū. et statuerūt ei ut  
daret ipse. et qui regna  
uerint post eum tributū  
magnum. et daret obli  
des et constitutū. et regio  
nem medorū. et lydos. et  
medos. de optimis regio  
nib' eorū. et acceptas eas  
ab illis dederūt eum em  
regi: et quia qui erāt ap̄d  
elladā uoluerunt uē et  
collere eos. et in notuit ser

mo hy<sup>s</sup>. et miserunt ad eos  
duce unū. et pugnaverunt  
contra illos. et ceciderunt  
ex eis multi. et captiuas  
duxerunt urores eorum. et fi-  
lios. et diripuerunt eos. et  
terram eorum possederunt. et de-  
struxerunt muros eorum. et  
in seruitute illos redege-  
runt usque ad hunc diem.  
et residua regna et insu-  
las ~~regna~~ que aliquando  
restituerant illis. extermi-  
nauerunt et in potestate  
redegerunt: cum amicis autē  
suis. et qui in ipsis requie  
habebant. conseruauerunt  
amicitiam: et obtinuerunt  
regna que erant proxima  
et que longe. quia quicumque  
audiebant nomen eorum ti-  
mebant eos. quibus uero  
uellent auxilio esse ut  
regnarent. regnabant.  
quos autē uellent regno  
deturbabant. et exaltati  
sunt ualde: et in omnibus  
istis nemo portabat dya-  
dema. nec induebat pur-  
pura. ut magnificaretur  
in ea: et quia curiam fece-  
runt sibi et cotidie con-

sulebant. trecentos. vii. con-  
siliū agentes semper de mul-  
titudine. ut que digna sunt  
gerant: et conmittunt unum  
homini magistratū suū.  
per singulos annos dominari  
uniuersę terre sue. et om-  
nes obediunt uni: et non  
est inuidia neque zelus inter  
eos. Et elegit iudas eupo-  
lemū filiū iohannis. filij iacob.  
et iasonē filiū eleazari: et  
misit eos rome constituere  
cum illis amicitiam. et socie-  
tatem. ut auferret ab eis  
iugū grecorum: quia uiderunt  
quod in seruitute premerent  
regnum israel. Et abierunt ro-  
mam uiam multam ualde:  
et introierunt curiam et di-  
xerunt. Judas machabeus  
et fratres eius. et populus tu-  
deorum. miserunt nos ad uos.  
statuere uobiscum socie-  
tatem et pacem: et conscribere  
nos socios et amicos uros.  
Et placuit sermo in con-  
spectu eorum. Et hoc rescrip-  
tum quod rescripserunt  
in tabulis æreis. et misere-  
runt in iherusalem: ut esset apud  
eos ibi memoriale pacis

et societatis. Bene sit ro-  
manis. et genti iudeoy in  
mari et in terra in eternū.  
gladiusq; et hostis procul  
sit ab eis. Qd si istiterit  
bellū romanis prius aut  
omnib' locis eoy i omni  
dominatione eoy auxiliū  
feret gens iudeoy pūc tem-  
pus dictauerit corde pleno.  
et pliantib' nō dabūt neq;  
subministrabūt triticum.  
arma. pecuniā. naues. si-  
cut placuit romanis. et  
custodient mandata eoy  
nichil ab eis accipientes.  
Similit' aut' et si genti iudoy  
prius acciderit bellū. adu-  
liabūt romā ex animo pūc  
eis tempus p' miserit. et ad-  
iuuantib' nō dabitur triti-  
cum. arma. pecuniā. naues.  
sicut placuit romanis. et  
custodient mandata eoy  
absq; dolo. Secundū hec v-  
ba constituerūt romani  
p'plo iudeoy. Qd si post hec  
uerba hys aut illi addere ul'  
demere ad hec aliquid uolu-  
erint. faciant ex pposito suo.  
et quecūq; addiderint uel  
dempserint rata erūt. Sed

et de malis que demetrius  
rex fecit in eos scripsim'  
ei dicentes. Quare gra-  
uasti iugū tuū sup amicos  
nrōs et socios iudeos. Si  
ergo itey adierint nos ad-  
uersū te. faciem' illis iudi-  
ciū et pūgnabim' tecum  
in mari terraq;. **IX.**

**I**sterea ubi audiuit  
demetrius quia ceci-  
dit micanor et exercitus  
eius in plio. apposuit ba-  
chidem et alchimū rursum  
mittere in iudeā. et dex-  
trum cornu cum illis. Et  
abierūt uiam que ducit  
in galgala. et castra posu-  
erunt in mesaloth. que ē  
in arbells et occupauit  
eam. et pemerūt animas  
hominū multas. In mēse  
primo anni centesimi. et  
quingagesimi. et scdi  
applicuerūt exercitū ad  
iherlm'. et surrexerūt et  
abierūt in bereā. xii. mi-  
lia uirorum. et duo milia  
equitū. Et iudas castra  
posuerat in layla. et tria  
milia uiri cum eo electi.  
Et uiderūt multitudinem.

exercit. qz mlti.

**I**

exercitus. quia multi sunt et ci-  
 muerunt ualde. et multi sub-  
 traxerunt se de castris; et non  
 remanserunt ex eis nisi octin-  
 genti uiri. Et uidit iudas  
 quod deflueret exercitus eius. et  
 bellum purgebatur eum: con-  
 fractus est corde. quia non ha-  
 bebat tempus congregandi eos.  
 et dissolutus est: et dixit his qui  
 residui erant. Fugamus et ea-  
 mus contra aduersarios  
 nostros: si poterimus pugnare  
 aduersus eos. Et auerterunt  
 eum dicentes. Non poterimus  
 pugnare: sed liberemus ani-  
 mas nostras modo. et reuerta-  
 mur ad fratres nostros: et tunc  
 pugnabimus aduersus eos.  
 Nos autem pauci sumus. Et ait  
 iudas. Absit ista rem facere:  
 ut fugiamus ab eis. Et si ap-  
 piauimus tempus nostrum moria-  
 mur in uirtute propter fratres  
 nostros: et non inferamus cri-  
 men glorie nostre. Et mouit  
 exercitus de castris: et stete-  
 runt illis obuiam. Et diuisi sunt  
 equites in duas partes: et  
 fundibularii et sagittarii  
 prebebant exercitum. et primi  
 certaminis omnes potentes.

Bachides autem erat in dextro  
 cornu. Et proximauit legio  
 ex duabus partibus: et clama-  
 bant tubis. Exclamauerunt  
 autem qui erant ex parte iudee  
 eam ipsi. Et commota est tra-  
 auoce exercituum: et commissum  
 est plium a mane usque ad  
 uesperam. Et uidit iudas quia  
 firmior est pars exercitus  
 bachidis in dextis: et conuen-  
 runt cum ipso omnes con-  
 stantes corde. et contrita est  
 dextra pars ab eis: et persecu-  
 tus est eos usque ad montem  
 azoti. Et qui in sinistro cor-  
 nu erant uiderunt quod contum-  
 tum est dextrum cornu: et se-  
 cuti sunt post iudam et qui cum  
 ipso erant a tergo. Et ingra-  
 uatum est plium: et ceciderunt uulnera  
 multi ex his et illis. Et iu-  
 das cecidit: et ceteri fugerunt.  
 Et ionathas et symon tu-  
 lerunt iudam fratrem suum et  
 sepelierunt eum in sepulchro  
 patrum suorum in ciuitate mo-  
 dani: et fleuerunt eum omnis  
 populus israel planctu magno:  
 et lugebant dies multos.  
 et dixerunt. Quomodo cecidit  
 potens. qui saluum

et magnitudines ei

faciebat isrl. Et cetera vba iude belloꝝ et uirtutu q̄s fecit. nō sūt descripta. Multa enim erant ualde. Et factū est post obitū iude. emerſerūt iniqui in omnibus finib' isrl. et exorti sūt om̄s qui opabant iniquitatē. In dieb' illis facta ē fames magna ualde. et tradidit se bachidi omnis regio eoz cū ipsis. Et elegit bachide impios uiros. et constituit eos dn̄os regionis. et exquirebant et p̄strutabant amicos iude. et adducebant eos ad bachidem. et uindictabat in illos et illudebat. Et facta est tribulacō magna in isrl. qualis nō fuit. ex qua die nō est uisus in isrl. Et congregati sūt omnes amici iude. et dixerūt ionathe. Ex quo frater tuus iudas defunctus est. uir similis ei nō est. qui creat cont' bachide et eos qui inimici sunt genti nr̄e. Et itaq; te eligim' hodie pro nobis eē principē et ducē. ad bellandū bellū nr̄m. Et suscepit ionathas tēpore

illo principatū. et surrexit loco iude fratris sui. Et cognouit bachides. et querebat eum occidre. Et cognouit ionathas et symō frater eius. et omnes qui cū eo erant. et fugerūt ad desertū tecuhe. et consederunt ad aquā lacus alphar. Et cognouit bachides. et die sabbatoꝝ uenit ipse. et omnis exercitus eius transiordanē. Et misit fratre suū ducē ppli. et rogauit nabuthēos amicos suos. ut cōmēdaret illis apparatū suū. qui erat copiosus. Et exierūt filij iambri ex madaba. et cōphenderūt iohānē. et omnia que habebat. et abierunt habentes ea. Hec uerba renūciatū est ionathe. et symoni fratri eius. quia filij iambri faciunt nuptias magnas. et ducūt sponsā ex madaba. filiam unius ex magnis p̄cipib' chanaan cū ambicione magna. Et recordati sunt sanguinis iohānis fratris sui. et astē-

Alphā

derunt et abscederunt se-  
teguneto montis. Et le-  
uauerunt oculos suos et  
uiderunt: et ecce tumultus  
et apparat' multus: et spo-  
sus pcessit et amici eius.  
et fratres eius obuia illis  
cum tympanis et musicis.  
et armis multis. Et surre-  
xerunt ad eos ex insidijs  
et occiderunt eos: et cecide-  
runt multi uulnerati: et  
residui fugerunt in monte.  
Et acceperunt omnia spolia  
eorum: et conuerse sunt nuptie  
in luctu et uox musicorum  
in lamentu. Et uindicauerunt  
uindicta sanguinis fratris  
sui: et reuerti sunt ad ripa iorda-  
nis. Et audiuit bachides: et  
uenit die sabbatorum usque ad  
ripa iordanis in uirtute  
multa. Et dixit ad suos io-  
nathas. Surgamus et pugne-  
mus contra inimicos nostros.  
Non est enim hodie sicut he-  
ri et nudius tertius. Ecce est  
bellu eraduerso: aqua uero  
iordanis hinc et inde: et ripa  
et paludes et salt: et non est  
locus diuertendi. **I**uc g  
clamate in celu: ut libere

mini de manu inimicorum uestrorum.  
Et commissu est bellu. Et ex-  
tendit ionathas manu sua  
percutere bachide: et diuertit  
ab eo retro. Et delinuit io-  
nathas et qui cum eo erant  
in iordane. et transierunt  
ad eos iordane: et ceciderunt  
de parte bachidis die illa  
mille uiri. Et reuerti sunt ihe-  
rusalem: et edificauerunt ciui-  
tates munitas in iudea:  
municione que erat in ihe-  
rico. et in ammaim. et in be-  
thoron. et bethel. et cham-  
nathan. et chopomuris ex / phara  
cellis. et portis et seris: et  
posuit custodia in eis. ut  
inimicis exercerent iusti.  
Et muniuit ciuitate beth-  
suram. et gazara. et artem.  
et posuit in eis auxilia et  
apparatu eorum: et accepit  
filios principu regionis  
obsides. et posuit eos in arte  
in iherusalem in custodia. Et  
anno centesimo quinquagesimo  
tercio. mense secundo.  
precepit alchimus destrui  
muros domus sancte in-  
terioris. et destrui opera p-  
phetarum: et cepit destrueri.

In illo tempore percussus est alchimus et impedita sunt opera illius; et obclusum est os eius et dissolutum est paralysus; nec ultra loqui potuit uerbum et mandare de domo sua. Et mortuus est alchimus in tempore illo. cum tormento magno. Et uidit bachides quoniam mortuus est alchimus et reuersus est ad regem: et siluit in terra annis duobus. Et cogitauerunt omnes iniqui dicentes. Ecce ionathas et qui cum eo sunt in silentio habitant confidenter. Nunc ergo adducamus bachidem: et comprehendet eos omnes in una nocte. Et abierunt: et consilium ei dederunt. Et surrexit ut ueniret cum exercitu multo: et misit epulas locis suis. occulte quod erat in iudea. ut comprehenderent ionathan et eos qui cum eo erant. sed non potuerunt: quia innotuit eis consilium eorum. Et apprehendit de uiris regionis. qui principes erant militiae. id est uiros: et occidit eos. Et secessit ionathas et symon et qui

cum eo erant. in bethbelle: que est in deserto et extruxit diruta eius: et firmauerunt eam. Et agnouit bachides: et congregauit uniuersam multitudinem suam. et hiis qui de iudea erant denunciavit: et uenit et castra posuit de super bethbelle. et oppugnauit eam dies multos: et fecit machinas. Et reliquit ionathas symonem fratrem suum in ciuitate. et exiit in regionem: et uenit cum numero. et percussit odarem et fratres eius. et filios phaseron in tabernaculo ipsorum: et cepit cedere et crescere in uirtutibus. Symon uero et qui cum ipso erant exierunt de ciuitate. et succederunt machinas: et pugnauerunt contra bachidem. et contritus est ab eis: et afflixerunt eum ualde. quoniam consilium eius et congressus eius erat inanis. Et uacat contra uiros. qui ei consilium dederant. ut ueniret in regionem ipsorum. multos ex eis occidit: ipse autem cogitauit cum reliquis abire in regionem suam.

*Breuis*

*aliquos*

**E**t cognouit ionathas: et  
misit ad eum legatos compo-  
nere cum ipso pa-tem et  
redde ei captiuitate. Et  
libenter accepit. et fecit se-  
cundum uerba eius: et iura-  
uit nichil se ei facturum ma-  
li omnibus diebus uite eius.

**E**t reddidit ei captiuitatem.  
quam prius erat perdatum de  
terra iuda: et conuersus  
abiit in terram suam. et non  
apposuit amplius uenire  
in fines eius: et cessauit  
gladius ex israhel. Et habita-  
uit ionathas in machmas:  
et cepit ionathas ibi indi-  
care populum: et extermina-  
uit impios ex israhel.

**E**t anno centesimo  
sexagesimo ascendit  
alexander antiochi filius.  
qui cognominatur nobilis:  
et occupauit ptolemaida.  
Et receperunt eum: et regna-  
uit illic. Et audiuit deme-  
trius rex: et congregauit  
exercitum ualde copiosum.  
et exiit obuiam illi in plin.  
Et misit demetrius ad iona-  
than uerbis pacificis eplam:  
ut magnificaret eum. Dixit

**E**t anticipemus pacem  
facere cum eo: prius quam  
faciat cum alexandrio aduersum  
nos. Recordabit enim omnium  
malorum que fecimus in eum  
et in fratrem eius. et gentem  
eius. Et dedit ei potestatem  
congregandi exercitum. et  
fabricare arma et esse ipsum  
locum eius: et obsides que erant  
in arte iussit tradere ei. Et ue-  
nit ionathas in iherusalem: et  
legit eplam in auditu omnis  
populi. et eorum qui in arte erant:  
et timuerunt timore magno:  
quoniam audierunt quod dedit ei  
rex potestatem congregandi  
exercitum. Et traditi sunt io-  
nathae obsides: et reddidit  
eos parentibus suis. Et habi-  
tauit ionathas in iherusalem:  
et cepit edificare et inuolare  
ciuitatem: et dirigit facientibus  
opa. ut exstrueret muros  
et montem syon in circuitu  
lapidibus quadratis ad mu-  
nicionem. Et ita fecerunt. Et  
fugerunt alienigene qui  
erant in munitionibus quas  
edificauerat bachides: et reli-  
quit unusquisque locum suum.  
et abiit in terram suam. Tan-

tum in bethsura remanserāt  
 aliqui ex hijs qui reliquerāt  
 legē et p̄cepta dei. Erat enī  
 hec eis ad refugium. Et au-  
 diuit rex alexander p̄mis-  
 sa. que p̄misit demetrius  
 ionathē. et narrauerunt  
 ei p̄lia et uirtutes. q̄s ip̄e  
 fecit et fratres eius. et la-  
 bores quos laborauerunt.  
 et ait. Numquid inuenie-  
 mus aliquē uirū talem.  
 Et nunc faciam eū amicum  
 et sociū nr̄m. Et scripsit e-  
 p̄lam. et misit ei secundum  
 uerba hec. dicens. Rex ale-  
 xander fratri ionathē salu-  
 tem. Audiuim⁹ de te. quod  
 uir potens uirib⁹ et ap̄-  
 tes. ut sis amicus noster.  
 Et nūc cōstituim⁹ te hodie  
 summū sacerdotē gentis  
 tue. et ut amicus regis uoce-  
 ris. et misit ei purpurā. et  
 coronā aureā. ut que nostra  
 sūt scencias. et conserues a-  
 micicias ad nos. Et induit  
 se ionathas stolā sanctam  
 septimo mense. anno cente-  
 simo sexagesimo in die sol-  
 lempni scenophegie. et con-  
 gregauit exercitū. et fecit

/sis

arma copiosa. Et audiuit  
 demetrius uerba ista. et cō-  
 tristat⁹. est nimis. et ait.  
 Quid hoc fecimus. qd̄ pre-  
 occupauit nos alexand⁹ ap̄-  
 hendē amicitia iudeorū ad-  
 munimen sui. Scribā et  
 ego illis uerba deprecatoria.  
 et dignitates. et dona. ut  
 sint mecū in adiutorio.  
 Et scripsit eis in hec uerba.  
 Rex demetrius genti iude-  
 orū salute. Quā seruastis  
 ad nos pactū. et mansistis  
 in amicitia nr̄a. et nō ac-  
 cessistis ad inimicos nr̄os.  
 audiuimus et gauisi sum⁹.  
 Et nunc p̄seuerate adhuc  
 conseruare ad nos fidem.  
 et retribuemus uobis bo-  
 na p̄lia que fecistis nobiscū.  
 et remittemus uob⁹ presta-  
 ciones multas. et dabim⁹  
 uobis donacōnes. Et nūc  
 absolu uos et omnes iudōs  
 attributis. et p̄cia salis in-  
 dulgeo. et coronas remitto.  
 et tertiās seminis. et dimi-  
 diam partē fruct⁹ ligni. qd̄  
 est porcionis mee. relinq̄  
 uobis ex hodierno. et de in- die  
 ceps. ne accipiat⁹ a terra

uuda et a trib' ciuitatibus  
q̄ addite sunt ei ex samaria  
et in galilea ex hodierno  
die et in totū temp' et ihe-  
rlm sit sancta et liba cum  
suis; et decime et tri-  
buta ipsius sint. Remitto  
etiā potestatem artis que est  
in iherlm. et do eā summo  
sacerdoti. et constituat i ea  
uiros quoscūq; ipse elegerit.  
qui custodiant eā. et omnē  
animā iudeorū. que capti-  
uata est a terra iuda in omni  
regno meo. relinquo libam  
gratis; et omnes a tribu-  
tis soluant etiā pecorū suorū.  
et omnes dies sollempnes  
et sabbata. et neomenie  
et dies decreti. et tres dies  
an̄ die sollempne. et tres  
post die sollempne. sint om-  
nes immunitatis et remis-  
sionis omnib' iudeis. qui sūt  
in regno meo; et nemo habe-  
bit potestatem agere aliquid.  
et mouere negocij ad ius  
aliquē eorū in omni causa.  
et ut a tribant ex iudeis  
in exercitu regis. ad xxx.  
milia uiroꝝ et dabunt illis  
copie. ut oportet omnib'.

exercitib' regis. et ex ipsis or-  
dinabunt. qui sint in mun-  
tionib' regis magni. et ex hijs  
constituent sup negocia reg-  
ni. que agunt ex fide. et pri-  
cipes sint ex eis. et ambulēt  
legib' suis sic p̄cepit rex in  
terra iuda. et tres ciuitates  
que addite sunt iudee ex re-  
gione samarie cū iudea re-  
putent. ut sint sub uno. et  
nō obediāt alie potestati  
nisi summi sacerdotis. ptoloma-  
idā et confines eius. quas de-  
di donū sanctis qui sūt in ihe-  
rlm. ad necessarios sumptus  
scōꝝ. et ego singulis annis  
dabo quindecim milia siclorū  
argenti de rationib' regis.  
que me contingūt. et omne  
qd̄ reliquū fuit. qd̄ nō red-  
diderant qui sup negocia  
erāt annis priorib'. ex hoc ta-  
bunt in opa domi. et super  
hec quinq; milia siclorū ar-  
genti. que accipiebāt de rati-  
one p̄ singulos annos.  
et hec ad sacerdotes p̄tine-  
ant. qui ministriō fungunt.  
et quicumq; fugerit in templū  
quod est in iherlm. et in om-  
nib' finibus eius. obnoxius

regi in omni negotio dimit-  
tatur. et uniuersa que sunt eis  
in regno meo libera habeant;  
et ad edificanda uel restauran-  
da opera sanctorum sumptus dabunt  
de ratione regis; et ad constru-  
endos muros iherusalem. et comu-  
mendos in circuitu. sumptus  
dabunt de ratione regis.  
et ad construendos muros in  
iudea. **N**o autem audiuit iona-  
thas et populus sermones istos  
non crediderunt eis. nec recep-  
erunt eos; quia recordati sunt  
malicie magne quam fecerat  
iherusalem; et tribulauerunt eos val-  
de. **E**t complacuit eis in alexan-  
driam. quia ipse fuerat eis prin-  
cipis sermonum pacis; et ipsi  
auxilium ferebant omnibus  
diebus. **E**t congregauit alexan-  
der rex exercitum magnum. et  
admouit castra contra deme-  
trium; et commiserunt plures re-  
gis. **E**t fugit exercitus alex-  
andri; et secutus est eum de-  
metrius et incubuit super  
eos; et inualuit plurimum in-  
mis. donec occidit sol; et ce-  
cidit demetrius in illa die. **E**t  
misit alexander ad ptolemeum  
regem egypti. legatos

res

in

secundum hec uerba. dicens. **Q**uia  
regressus sum in regnum meum.  
et sedi in sede patrum meorum.  
et obtinui principatum. et con-  
trui demetrium. et possedi  
regionem meam; et commisi cum  
eo pugnam. et contritus est ipse  
et castra eius a nobis; et se-  
dimus in sede regni eius. **E**t  
nunc statuam adinuicem ami-  
cicia; et da michi filiam tuam  
uxorem. et ego gener tuus;  
et dabo tibi dona. et ipsi digni-  
tatem. **E**t respondit ptolemeus  
rex. dicens. **F**elix dies in quo  
reuersus es ad terram patrum  
tuorum; et sedisti in regno eorum. **S**ede  
**E**t nunc faciam tibi que scrip-  
sisti. **P**rocedit occurrere ptolemai-  
de; ut uideantur nos inuicem. **I**n  
et spondeam tibi sic dixisti.  
**E**t exiit ptolemeus de e-  
gypto ipse. et cleopatra filia  
eius. et uenit ptolemaide a-  
no centesimo sexagesimo se-  
cundo; et occurrit ei alexan-  
der rex; et dedit ei cleopatram  
filiam suam; et fecit nuptias  
eius ptolemaide sicut rex  
in magna gloria. **E**t scripsit rex  
alexander ionathe; ut ue-  
niret obuiam sibi. **E**t abiit

**auz**  
cū gloria pcolomaidem. et  
occurrit ibi duob' regibus.  
et dedit illis argentū multū  
et dona: et inuenit gratiam  
ī cōspectu eoz. Et cōuenerūt  
aduersus eum uiri pestilē-  
tes ex isrl. uiri iniqui inter-  
pellantes ad uisus eū: et nō  
intendit ad eos rex. Et uis-  
it exspoliari ionathā ue-  
stimentis suis: et induit eū  
purpura. Et ita fecerunt.  
Et collocauit eū rex sede-  
secū: dixitq; pncipib' suis.  
Erite cū eo ī medio ciuita-  
tis: et p'dicate ut nemo ī-  
terpelleat aduersus eū de  
ullo negotio: nec quisquā  
ei molestus sit de ulla ra-  
tione. Et factū est ut uide-  
runt qui int'pellabat glo-  
riam ei' que p'dicabat. et  
optū eū purpura: fugerūt  
omnes. Et magnificauit  
eū rex: et scripsit eū inter  
pmos amicos: et posuit  
eū ducem et participem  
pncipatus. Et reuersus ē  
ionathas cū pace in iherlm  
et leticia magna. In anno  
centesimo sexagesimo quā-  
to. uenit demetri' filius de-

metri' acrota in triā patrū  
suoz. Et audiuit alexand' rex.  
et constatus est ualde:  
et reuersus est antiochia.  
Et cōstituit demetrius ap-  
polloniū qui p'erat celesty-  
rie: et cōgregauit exercitū  
magnum. et accessit ad iam-  
niam: et misit ad ionathā  
summū sacerdotē. dicens.  
Tu solus resistis nobis. Ego  
aut' factus sū ī derisū et ī  
opprobriū. p'pterea qā tu p-  
testatē exertes aduersum  
nos ī montib'. Nunc ergo  
si confidis in uirtutib' tuis:  
descende ad nos in campū.  
et comparemur illic iuicē:  
quia mecū est uirtus belloz.  
Interroga et discite quis sū  
ego. et ceteri. qui auxilio sūt  
michi: qui et dicūt. qd non  
potest stare pes uest' ante  
faciē nrām: quia ī fugam. **bis**  
**his** conuersi sūt patres tui  
in tria sua. Et nūc quomō-  
poteris sustinere equitatū.  
et exercitū tantū ī campo.  
ubi nō est lapis. neq; saxū.  
neq; locus fugiendi. **ut** au-  
diuit autē ionathas sermo-  
nes appolloniū mot' ē animo

et elegit decē milia uiroz  
 et exiit ab iherlm. Et con-  
 currit ei symon frat' eius  
 in adiutoriu. et applicue-  
 rit castra i ioppen. Et ex-  
 cludit eum a ciuitate: quia  
 custodia appolloni ioppe  
 erat. Et oppugnauit eam:  
 et exterriti qui erant in tra-  
 ciuitate aperuerunt ei: et ob-  
 tinuit ionathas ioppen.  
 Et audiuit appollonius.  
 et admouit tria milia eq-  
 tu et exercitu multu. et a-  
 bijt in azotu: tamquam in-  
 faciens: et statim exiit in  
 campu eo qd habet mul-  
 titudine equitu et confide-  
 ret in eis. Et insecutus est  
 eu ionathas in azotu: et  
 plium comiserunt. Et reliquit  
 appollonius in castris mil-  
 le equites. post eos occulte.  
 Et cognouit ionathas q-  
 niam suu in sidie post se:  
 et circummerunt castra ei  
 a mane usq ad uespera.  
 Ppls aut stabat sic pce-  
 pit ionathas: et laboraue-  
 runt equi eoz. Et eiecit sy-  
 mon exercitu suu: et conu-  
 lit contra legionem. Equites

enu fatigati erant: et fugunt  
 et contriti sunt ab eo. Et q  
 dispersi sunt in campu fuge-  
 runt in azotu: et intrauerunt  
 in bechdagō ydolu suum.  
 ut se liberaret. Et succedit  
 ionathas azotu et ciuita-  
 tes que erant in circuitu eius.  
 et accepit spolia eoz: et  
 templu dagon. et eos qui  
 fugerant in illud succedit  
 igni: et fuerunt in ciuitate  
 qui ceciderunt in gladio. cu  
 hi qui succensi sunt fere  
 octo milia uiroz. Et mo-  
 uit inde ionathas castra  
 et applicuit ea a scalone:  
 et exierunt de ciuitate ob-  
 uiam illi in magna gloria.  
 Et reuersus est ionathas  
 i iherlm cu suis habentib'  
 spolia multa. Et audiuit  
 alexand' sermones istos.  
 addidit adhuc glorificare  
 ionathan: et misit ei fi-  
 bulā aureā. sicut ē con-  
 suetudo dari cognatis re-  
 gum: et dedit ei accaron  
 et omnes fines ei in pos-  
 sessionem. **XI**  
**E**t rex egypti congre-  
 gauit exercitu sicut

et receperunt iacula  
 i iplm.

Et factum est

arenam. que est circa ora  
maris et naues multas: et  
quererat obtinere regnū  
alexandri dolo. et addere illd  
regno suo. Et exiit in syriā  
uerbis pacificis: et apiebat  
ei om̄s ciuitates et occurre  
bant ei: quia mandauit  
alexand' rex exire ei obuiā cū  
pace eo qd' socer suus eēt. Cum  
introiret aut' ciuitatē pro  
lomeus: ponebat custodi  
as militū in singulis ciuita  
tib'. Et ut appiauit azoto:  
ostenderunt ei templū da  
gon succensū et azotū. et  
cetera eius demolita. et cor  
pora pietta. et eoz. q' celi  
erant ī bello. tumulos quo  
fecerat secus uiam: et nar  
rauerunt regi. quia hec  
fecit ionathas: ut inuidiā  
facerent ei. Et tacuit rex.  
Et occurrit ionathas regi  
fioppen cum gl'a: et iuncte  
se salutauerūt: et dormie  
runt illic. Et abiit iona  
thas cū rege usq' ad flumi.  
qui uocatur eleutherus:  
et reuersus est iherlm'. Fer  
aut' ptolomeus obtinuit  
dominiū ciuitatū usq' se

leuciam marinā: et cogi  
tabat in alexandriū cōsilia  
mala. Et misit legatos ad  
demetriū dicens. Veni cō  
ponamus int' nos pactū:  
et dabo tibi filiā meā quā  
habet alexander: et regna  
bis in regno patris tui. Pe  
nituit enī me qd' dederim il  
li filiā meā. Quesiuit me  
enī occide. Et uitupauit  
eū p'pterea qd' cōcupierat  
regnū eius. Et abstulit fi  
liam suā et dedit eā demetro.  
et alienauit se ab alexandro:  
et manifeste facte sūt in  
imicitie eius. Et intrauit  
ptolomeus antiochia: et i  
posuit duo dyademata ca  
piti suo. egypti et asie. **Alexander**  
autē rex erat in ci  
cilia illis dieb'. quia rebella  
bant qui erāt in locis illis.  
Et audiuit alexand': et ue  
nit ad eū in bello. Et pduxit  
ptolomeus rex exercitum:  
et occurrit ei ī manu ualida.  
et fugauit eū. Et fugit ale  
xander in arabiam: ut ibi  
p'tegeret. Rex aut' ptolo  
meus exaltatus ē. Et abstu  
lit gaddiel arabs caput

alexandri: et misit ptolo-  
 meo. Et rex ptolomeus mor-  
 tuus est in die tertia: et om-  
 nes eius infecti sunt ab his  
 qui erant in munitionibus.  
 Et regnavit demetrius an-  
 no centesimo sexagesimo  
 septimo. In diebus illis congre-  
 gavit ionathas eos qui erant  
 in iudea. ut expugnaret artem  
 que est in iherusalem: et fecerunt con-  
 tra eam machinas multas.  
 Et abierunt quidam qui ode-  
 rant gentem suam viri iniqui  
 ad regem: et renuntiaverunt  
 ei quod ionathas obsideret  
 artem. Et ut audiuit rex  
 iratus est. et statim venit pro-  
 lomaida: et scripsit iona-  
 the. ne obsideret sed occurre-  
 ret sibi ad colloquium festi-  
 nato. Ut audiuit autem  
 ionathas. iussit obsidere:  
 et elegit de senioribus israel.  
 et de sacerdotibus et dedit se-  
 piculo: et accepit aurum et  
 argentum. et vestem. et alia  
 remedia multa. et abiit ad re-  
 gem ptolomaida: et invenit  
 gratiam in conspectu eius.  
 Et impellabatur adversus  
 eum quidam iniqui ex gente

sua: et fecit ei rex sicut fe-  
 cerat ei qui ante eum fuerat. <sup>reger</sup>  
 et exaltauit eum ante con-  
 spectum omnium amicorum  
 suorum: et statuit ei principatum  
 sacerdotum. et quecumque  
 alia habuit prius preciosa:  
 et fecit eum principem amicorum.  
 Et postulavit ionathas  
 a rege. ut in munem faceret  
 iudeam in partibus. et sa- <sup>et tres</sup>  
 maria. et permisit ei ta- <sup>confines eius</sup>  
 lenta trecenta. Et consen-  
 sit rex: et scripsit ionathe  
 epistolas de his omnibus huius-  
 modi continentes. Rex de-  
 metrius ionathe fratri sa-  
 lute. et genti iudeorum. Ex-  
 emplum epistole quam scripsi-  
 mus lasthem parenti vestro  
 de vobis misimus ad vos.  
 ut sciatis. Rex demetrius  
 lasthem parenti salutem.  
 Genti iudeorum amicis no-  
 stris. et conservantibus ad nos  
 que iusta sunt decrevimus.  
 benefacere. propter benignitatem  
 ipsorum quam erga nos ha-  
 bent. Statuimus ergo illis  
 omnes fines iudee. et tres  
 civitates. liddam. et rama-  
 the. que addite sunt iudee  
 et phasaro

pus

ex samaria: et omnes fines  
earum sequestrantur omnibus sacri-  
ficantibus in iherosolimis. p-  
hij que ab eis rex accipie-  
bat p singulos annos: et  
p fructibus terre et pomorum:  
et alia que ad nos pertinebant  
decimam: et tributorum ex hoc  
tempore remittimus eis:  
et areas salinarum: et coro-  
nas que nobis deferiebant.  
omnia ipsi concedimus:  
et nichil horum irritum erit ex  
hoc et in omni tempore. Et  
ergo curate facere horum ex-  
emplum: et detur ionathas.  
et ponatur in monte sancto  
in loco celebri. Et iudicium de-  
metrius rex quod sibi tra-  
dit in conspectu suo et nichil  
ei resistere: et dimisit exerci-  
tum suum unumquemque in locum  
suum. excepto peregrino exer-  
citu. que contraxit ab iis  
gentibus. Et inimici erant ei  
omnes exercitus partium eius.  
Trifon autem erat quidam par-  
tium alexandri prius: et  
uidit quoniam omnis exercitus  
murmurat contra demetrium:  
et iuit ad machuel arabem:  
qui nutrebat antiochum

abire

filium alexandri: et assidebat  
ei ut traderet eum ipsi: ut reg-  
naret in loco patris sui: et nu-  
clauit ei quanta fecit deme-  
trius: et inimicitias exerci-  
tuum eius: aduersum illum: et  
mansit illic diebus multis.  
Et misit ionathas ad deme-  
trium regem: ut eiceret eos qui  
in arte erant in iherosolimis: et qui  
in insidiis erant: quia expug-  
nabant israel. Et misit deme-  
trius ad ionathan: dicens.  
Non hec tantum faciam tibi  
et genti tue: sed gloria illust-  
bore te et gentem tuam cum fuerit  
opportunitas. Nunc si recte  
feceris: si miseris uiros in  
auxilium: quia discessit om-  
nis exercitus meus. Et mi-  
sit ei ionathas tria milia  
uirorum fortium antiochiam.  
Et uenerunt ad regem: et de-  
lectatus est rex in aduentu  
eorum. Et conuenerunt quia erant  
decem milia ui-  
rorum: et uolebant interficere  
regem. Et fugit rex in au-  
lam. Et occupauerunt qui  
erant decem milia itinera ci-  
uitatis: et cepit pugnare.  
Et uocauit rex iudeos in

auxiliū. Et cōuenerūt sūm  
 omnes ad eū: et disperisē  
 omnes p̄ciuitatē. et occide  
 runt in illa die. c. xx. milia  
 hominū; et succenderūt  
 ciuitatē. et cepūt spolia  
 multa in illa die: libaue  
 rūtq; regem. Et uiderūt  
 qui erant de ciuitate. qđ  
 obtinuisent iudei ciuita  
 tem sicut uolebant. et in  
 firmati sūt mente sua: et  
 clamauerūt ad regem cū  
 p̄cib; dicentes. Da nobis  
 dexterā: et cessent iudei  
 oppugnātes nos et ciuitatē.  
 Et prece rūt arma: et fece  
 rūt pacē. Et glorificati sūt  
 iudei in cōspectu regis. et  
 in cōspectu omnium q̄ erāt  
 i regno eius. et nominati  
 sunt in regno: et regressi  
 sūt i iherl̄m habētes spo  
 lia multa. Et sedit deme  
 trius rex in sede regni sui:  
 et sicut terra i cōspectu  
 eius. Et mentitus ē om  
 nia quecūq; dixit: et alie  
 nauit se ab ionatha. et n̄  
 retribuit ei scđm beneficia  
 que sibi tribuerat: et ue  
 xabat eū ualde. Post hec

autē reūsus trison et antj  
 ochus cū eo. puer adolescēs  
 et regnauit et imposuit  
 sibi dyadema: et congrega  
 ti sūt ad eū omnes exercitus.  
 quos disperat demetrius:  
 et pugnauerūt contra eū:  
 et fugit et egauertit. Et ac  
 cepit trison bestias: et obti  
 nuit antjochiā. Et sc̄psit  
 antjoch; adolescens iona  
 the. dicens. Constituo tibi sūmū  
 sacerdotiū. et constituo te  
 sup quatuor ciuitates: iud  
 sis de amicis regis. Et mi  
 sit illi uasa aurea in mini  
 stium: et dedit ei potestātē  
 bibendi in auro. et eē i pur  
 pura. et habē fibulā aureā;  
 et symonē fratrem eius con  
 stituit ducē a terminis ty  
 ri. usq; ad fines egypti. Et  
 erit ionathas et pambu  
 lauit trans flumē ciuitatis:  
 et congregat est ad eū om  
 nis exercitus. syrie in auxi  
 liū. Et uenit a scalone: et  
 occurrerūt ei de ciuitate ho  
 norifice. Et abiit inde ga  
 zam. Et cōcluserūt q̄ erāt  
 in gaza: et obsedit eā. et  
 succendit q̄ in circuitu erāt

ciuitates. et p̄dat' est eas.  
**E**t rogauerunt gazenses  
ionathan: et dedit illis  
dextram: et accepit filios  
eorū obſides. et miſit illos  
ī iherl̄m: et p̄ambulauit  
regionē uſq; ad damascū.  
**E**t audiuit ionathas. q̄a  
p̄uaricati ſūt p̄ncipes de  
metriꝝ ī cades. q̄ est ī ga  
lilea cū exercitu multo.  
uolentes eū remouē a ne  
gocio regni: et occurrit  
illis. fratre autē ſuū ſy  
monē reliquit ī tra pro  
uincia. **E**t applicuit ſymō  
ad bethſurā. et expugna  
bat eam dieb' multis: et  
cōcluſit eos. **E**t postula  
uerūt ab eo dextrās acci  
pe: et dedit illis et eiecit  
eos. inde: et cepit ciuitatē.  
et poſuit ī ea preſidium.  
**E**t ionathas et caſtra ei'  
applicuerūt ad aquā ge  
naſar. et ante lucē uigila  
uerūt ī campo a ſor: et  
ecce caſtra alienigenarū  
occurrerūt ī campū: et  
tendebāt ei ī ſidias ī mō  
tib'. Ipſe autē occurrit ex  
aduerſo: ī ſidie uero re

ſurrexerūt de locis ſuis. et  
cōmiſerūt p̄liū. **E**t fugerūt  
qui erāt ex parte ionathe  
omnes: et nemo relictus  
est ex eis. niſi matathias  
filius abſolomi. et iudas  
filius chalphi princeps  
milicie exercitus. **E**t ſcidiō  
ionathas ueſtimēta ſua.  
et poſuit terrā ī capite  
ſuo et orauit: et reuerſus  
est ad eos. ī p̄liū. et conuēnit  
ſe ad illos. et p̄ugnauerūt.  
**E**t uiderūt qui fugiebant  
partis illius. et reuerſi ſūt  
ad eum: et ſeq̄bant' cū eo  
uſq; cades ad caſtra ſua. et  
puenerūt uſq; illuc: et ce  
ciderūt de alienigenis ī die  
illa tria milia uiroz. **E**t re  
uerſus est ionathas ī ihe  
ruſalem. **XII**

**E**t uidit ionathas q̄a  
tempus eū iuuat:  
et elegit uiros. et miſit ro  
mā. ſtatuerē et renouare  
cū eis amicitia. et ad ſpar  
ciatas et ad alia loca mi  
ſit epl̄as ſc̄dm eandem for  
mā. **E**t abierūt romā: et  
intrauerūt curiā et dixerūt.  
Ionathas ſūmus ſacerdos

et gens iudeorum miseret nos:  
 ut renouetis amicitiam et  
 societatem secundum primum.  
**E**t dederunt illis epistolas ad  
 ipsos ptolemae: ut deducerent  
 eos in terram iuda cum pace.  
**E**t hoc exemplum epistolae quae  
 scripsit ionathas spartiatis.  
 Ionathas summus sacerdos  
 et gens iudeorum et seni-  
 ores gentis et sacerdotes  
 et reliquus populus iudeorum  
 spartiatis fratribus salutem.  
 Nam pridem misse erat epistola  
 ad oniam summum sacerdotem  
 ad ario. qui regnabat apud  
 uos: quoniam estis fratres nostri  
 sicut rescriptum continet  
 quod subiectum est. Et susce-  
 pit onias uirum. qui fuerat  
 missus cum honore: et ac-  
 cepit epistolas quibus signifi-  
 cabat de societate et amicitia.  
 Nos cum nullo horum indi-  
 gerem habentes solacio  
 sanctos libros. qui sunt in  
 manibus nostris: maluimus  
 mittere ad uos fraternitatem  
 renouare et amicitiam: ne  
 forte alieni efficiamur a uobus.  
 Multa enim tempora transierunt  
 ex quo misistis ad nos. Nos

ergo in omni tempore sine inter-  
 missione in diebus sollemp-  
 nibus et ceteris quibus oportet.  
 memores sumus uestrae in  
 sacrificiis que offerimus  
 et obsecrationibus. sic fas est  
 et decet meminisse fratrum.  
**L**etamur itaque de gloria uestra.  
 Nos autem circumdederunt  
 multe tribulationes et mul-  
 ta pericula: et impugnaverunt  
 nos reges qui sunt in circu-  
 itu nostro. Nolumus ergo uobis  
 molesti esse. neque ceteris. **Haec** *locus et amicitia*  
 uolumus enim de celo auxilium *uostri ihesu christi*  
 et libati sumus. et humiliati  
 sunt inimici nostri. Elegimus  
 itaque numenium antiochi.  
 et antipatrum iasonis filium.  
 et misimus ad romanos re-  
 nouare cum eis amicitiam.  
 et societatem pristinam. Man-  
 dauimus quoque eis. ut ue-  
 niant etiam ad uos. et sa-  
 lutent uos: et reddant uobis  
 epistolas de inuocatione fra-  
 ternitatis nostrae. **E**t nunc bene-  
 facitis respondentes nobis  
 ad haec. **E**t hoc rescriptum  
 epistolae quod miserat onias.  
**Rex** spartiatarum onias io-  
 nathae sacerdoti magno

salutē. Inuentū est in sc̄p̄tura de sp̄arciatis et iudeis: qm̄ sūt fr̄es. et quia sūt de genere abrahā. Et nūc ex quo hec cognouimus benefacis. scribentes nobis de pace uestra. Sed et nos resp̄sumus uobis. Pecora nra et possessiones nostre uestre sūt: et ur̄e nre sūt. Mandauim̄ itaq̄ hec nūciari uobis. Et audiuit ionathas qm̄ egressi sūt principes demetrii cū exercitu multo. supra quā prius pugnare aduersus eum: et exiit ab iherl̄m. et occurrit eis ia mathite regione. Nō em̄ dederat eis sp̄aciū ut ingrederentur regiōē ei. Et misit speculatores in castra eorū: et reuersi nūciauunt quia cōstituiūt supuenire illis nocte. Cum occidisset aut̄ sol: p̄cepit ionathas suis uigilare. et esse in armis paratos: ad pugna tota nocte: et posuit custodes p̄ circuitum castrorū. Et audierūt aduersarij. quia parat̄ ē ionathas cū suis in bello: et

timuerūt et formidauerūt corde suo: et accenderūt focos in castris suis. Ionathas aut̄. et qui cum eo erāt nō cognouerūt usq̄ mane. Videbant em̄ luminaria ardencia. Et secut̄ magna est ionathas: et nō comprehendit eos. Transierāt aut̄ flumen eleutherū. Et deuertit ionathas ad arabas. qui uocant̄ zabadei et percussit eos: et accepit spolia eorū. Et iunxit et uenit damascum: et pambulauit omnē regiōē illā. Nymō aut̄ exiit et uenit usq̄ ad ascalonā et ad prima p̄sidia. Et dedinauit in ioppen et occupauit eā. audiunt ei qd̄ uellent p̄sidium tradere partib̄ demetrii: et posuit ibi custodes ut custodiret eā. Et reuersus ē ionathas: et cōuocauit seniores populi. et cogitauit cum eis edificare p̄sidia in iudea. et edificare muros in iherl̄m. et exaltare altitudinē magnā in mediū arcis et ciuitatis. ut separaret eā a ciuitate: ut eēt ipsa

singularit. et neq. emat neq.  
 uendat. Et conuenerunt. ut  
 edificaret ciuitate. Et cecidit  
 murus. qui erat super  
 torrente ab ortu solis: et  
 reparauit eum. qui uocatur  
 caphetheta. Et hinc edificauit  
 e diada in sephela. et  
 munuit ea. et imposuit  
 portas et seras. Et cum cogitasset  
 trison regnare a  
 sye. et a sumere dyadema.  
 et extendere manu in antiochum  
 regem. timens ne forte non  
 punitet eum ionathas. sed  
 pugnaret aduersus eum. querebat  
 coprehendere eum et occidere.  
 Et exurgens abiit in bethsan.  
 Et exiit ionathas obuia  
 cum quadraginta milibus  
 uirorum electorum in pliu. et  
 uenit bethsan. Et uidit triphon  
 quia uenit ionathas cum  
 exercitu magno. ut extenderet  
 in eum manus. et timuit. et  
 excepit illum cum honore. et  
 comedaunt eum omnibus  
 amicis suis. et dedit ei munera.  
 et precepit exercitibus suis.  
 ut obedirent ei sicut sibi.

Et dixit ionathe. Ut quid  
 uexasti uniuersum populum  
 bellum nobis non sit. Et nunc  
 remitte eos in domos suas.  
 Elige autem tibi uiros paucos  
 qui tecum sunt. et ueni  
 mecum ptolemaidam. uocata  
 da illa tibi. et reliqua presidia.  
 et exercitum et uniuersos  
 repositos negocij. et conuul-  
 sus abibo. Propterea enim  
 ueni. Et credidit ei. et fecit  
 sicut dixit. et dimisit exercitum.  
 et abierunt in terram iuda.  
 Et cecumit autem secum  
 tria milia uirorum. ex quibus  
 remisit in galilea duo milia.  
 mille autem cum eo uenerunt.  
 Ut intrauit autem ionathas  
 ptolemaidam. clauserunt  
 portas ptolemaes et comprehenderunt  
 eum. et omnes qui cum eo  
 intrauerant gladio interfecerunt.  
 Et misit triphon exercitum  
 et equites in galilea. et in campum  
 magnum. ut perderet omnes  
 socios ionathe. At illi cum  
 cognouissent quia comprehensus  
 est et perijt. et omnes qui  
 cum eo erant. ortati sunt  
 semetipsos. et exierunt

parati in plū. Et uidentes  
quia insecuti fuerant. quia  
panima res est illis. reuēsi  
sūt. Illi autē uenerūt omēs  
cū pace in terrā iuda. et  
planxerūt ionathā. et eos  
qui cū eo erāt ualde. et luxit  
isrl' luctu magno. Et que-  
sierūt omnes gentes que  
erāt in circuitu eorū conte-  
rere eos. Dixerūt em̄. Nō  
habent pncipē et adiuuā-  
tem. Nunc ergo expūgne-  
mus illos. et collam' de ho-  
minib' memoriā eorū. :-

**E**t audiuit **III**  
Symon qd' congre-  
gauit trifon exercitum  
copiosū. ut ueniret in terram  
iuda. et attereret eam. ui-  
dens quia in tremore ipsius  
est et timore. ascendit iheru-  
sale et congregauit plū.  
et adorans dixit. Vos scitis.  
quanta ego et fratres mei  
et domus patris mei feci-  
mus p legib' et p lantis  
p'ha et angustias quales  
uidimus. Hoz grā pierūt  
fratres mei omnes ppter  
isrl'. et relictus sum ego so-  
lus. Et nūc nō in cōtingat

parte anime mee in omni  
tpe tribulacōnis. Nō ē  
melior sum fratrib' meis.  
Vindicabo itaq' gentē meā  
et scā. natosq' uestros et  
uiores. quia congregate  
sūt uniuerse gentes conte-  
rere nos. inimiciē grā.  
Et accens' est sp'c plū siml'.  
ut audiuit sermones istos.  
et respondunt uoce mag-  
na. dicentes. Tu es dur' in  
loco iude et ionathe frats  
tui. Pugnare plū nostrū.  
et omnia quecūq' dixeris  
nobis faciemus. Et con-  
gregans omnes uiros bel-  
latores accelerauit cōsū-  
mare omnes muros iherlm'.  
et munuit eā in giro. Et  
misit ionathā filiū abso-  
loni. et cū eo exercitū no-  
uū in oppen. et electis his  
qui erāt in ea. mansit illic  
ipse. Et mouit trifon ab-  
pcolomaide. et ionathas  
cū eo in custodia. Symon  
autē applicuit in addus ad  
faciē campi. Et ut cogno-  
uit trifon quia surrexit  
symon in loco ionathe fra-  
tris sui. misit ad eū legatōs  
et qz pmissus erat cū eo plū.

castra

et p[ro]p[ter] negocia q[ue]  
habz

Et misit pueros  
et .c. talenta.

Dicens. Pro argento q[uo]d debebat frater tuus ionathas iracione regis detinuiimus eum. Et nunc mitte talenta argenti centum. et duos filios eius obsoles. ut non dimissus fugiat a nobis. et remittam eum. Et cognouit symon. quia cum dolo loqueretur secum. iussit tamen dari argentum et pueros. ne inimiciam magnam sumeret ad israhel. et dixit. quia non misit argentum et pueros. propterea perit. Et mentitur est. et non dimisit ionatham. Et post hec uenit trifon in terra regionem ut coteretur eam. et gyrauerunt puera que ducit ad eos. et symon et castra eius perambulabant in omnem locum quocumque ibant. Qui autem in arce erant. miserunt legatos ad trifonem. ut festinaret uenire per desertum. et mitteret illis alimonias. Et pauit trifon omnem equitatum. ut ueniret in illa nocte. Erat autem nix ualde multa. et non uenit in galadichim. Et cum appiasset balcha

ma. occidit ionatham et filios eius. Et conuertit trifon. et abiit in terram suam. Et misit symon et accepit ossa ionathe fratris sui. et sepeliuit ea in modum ciuitate patrum eius. Et plauerunt eum omnes israhel. plactu magno. et luxerunt eum dies multos. Et edificauit symon super sepulchrum patris sui et fratrum suorum edificium altum uisum lapide polito retro et ante. et statuit septem pyramidas unam contra unam. patri. et matri. et unum fratribus. et his circumposuit columnas magnas. et super columnas arma ad memoriam eternam. et iuxta arma naues sculptas. que uidentur ab omnibus nauigantibus mare. Hoc est sepulchrum quod fecit in modum usque in hunc diem. Trifon autem cum iter faceret cum antiocho rege adolescere. dolo occidit eum. et regnauit loco eius. et imposuit sibi dyadema alic. et fecit plagam magnam in terra. Et edificauit symon presidia

iuude. muniens ea turribus  
excellis et muris magnis.  
et portis et seris: et posuit  
alimenta in munitionibus.  
Et elegit symon viros. et  
misit ad demetrii regem:  
ut faceret remissionem regio-  
ni. quia omnes actus trifor-  
nis per direptionem fuerant gesti.  
Et demetrii rex ad verba ista  
respondit: et scripsit epistolam  
talem. Rex demetrii symo-  
ni summo sacerdoti et amico  
regum. et senioribus et genti  
iudeorum salutem. Coronam au-  
ream et baculum. quam misisti sus-  
cepimus: et parati sumus  
facere vobiscum pacem mag-  
nam. et scribere propositis regis  
remittere vobis quam indulgentissimam.  
Quocumque enim constituerimus  
vobis. constat munitiones  
